

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Laban.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

*J.* Sed venit Rachel agens pecus. *b)* Quid cesso avolvere faxum, ut hauriam ei aquam, atque hanc primam ab ea ineam gratiam? O mea Rachel, amplectere me! *R.* Abstine tu manum, quis tu es? *J.* Ego sum Jacobus patruelis tuus, filius Rebeccæ. Non contineo lachrymas præ gaudio. *R.* O felicem adventum! Sed ego cesso ire in urbem: ut nunciem hæc meo patri.

## SENTENTIA.

*Gaudent mutuo congressu consanguinei. Sunt autem pii omnes inter sese divina consanguinitate conjuncti.*

LABAN. Genes. 31.

## ARGUMENTVM.

Laban fugientem Jacobum assequutus, cum eo jurgatur. Deinde fit inter eos foedus.

*Laban, Jacobus, Rachel.*

**Q**uæ ratio impulit te, ut infcio me abduceres meas filias, tanquam ferro partas? Cur clam & nesciente me aufugisti, neque fecisti me certiozem, ut prosequerer te voluptate carminum, tympanorum, cithararum? neque permisisti mihi, ut oscularer meos *a)* natos & natas? Stulte sane fecisti. Et erat mihi in manu, nocere vobis. *b)* Sed Deus vester patrius heri monuit me, ut caverem, ne te offenderem ulla re. Verum esto;

*b)* Quos amamus, is libenter benefacimus.

*a)* Natos vocat nepotes more Hebraico.

*b)* Deus injustos monet, ne noceant justis.

esto; profectus sis sane præ desiderio, quod capiebas e domo paterna: Deos vero meos cur furatus es? *J.* Illud feci adductus metu, veritus ne tu eriperes mihi tuas filias. Quod autem atinet ad tuos Deos, <sup>c)</sup> si quem penes inveneris eos, per me quidem plectatur capite. Noscite e præsentibus necessariis nostris, si quid tui est apud me. *L.* Recte dicis. Perscrutabor vestra tabernacula. *J.* Non recuso, quo minus vestiges omnia. *R.* Video me esse in magno periculo; nam Laban pater meus conquirat per omnia tentoria suos Deos penates, quos ego furata sum meo viro nesciente. Quod si factum deprehenditur, concitavero magnas turbas. Comminiscenda aliqua fallacia est, & quidem subito: Nam meus pater jam aderit hic. Probe inveniam: obruam eos in hoc stercore camelino deinde sedebo super: facile eum fallam. *L.* Rimatus sum acerrime tabernaculum Jacobi, tum Leæ, tum duarum ancillarum: nusquam inveni. Restat tabernaculum Rachelis, in quo si non erunt, mirabor. Hæc omnia sunt mihi perscrutanda: Hic quidem non sunt, neque hic. Quid sub hac calcitra? tantundem. At in hoc angulo erunt, at non sunt. *R.* Noli ægre ferre, domine, quod non possum assurgere tibi: nam sum in menstruis. *L.* Perquisivi omnia diligentissime: sed nusquam comperi meos Deos penates.

B 4

*J.*

c) Periculosa sane conditio. Sed Deus, quæ pericula inscianter adeunt pii, ab iis mirifica sapientia eos tuetur.

7. Quodnam concepi tantum scelus, aut quod  
 facinus admisi in te, ut tu me sic persequerere?  
 Scrutatus es omnia mea utensilia: Ecquid inve-  
 nisti de ulla supellectile tuæ domus: Prome huc  
 coram necessariis utriusque nostrum, ut ipsi ju-  
 dicent de utroque nostrum. Jam viginti annos  
 egi apud te, tuæ oves & capræ nunquam fuerunt  
 infœcundæ; non comedi arietes tuæ oviariæ;  
 nihil ad te retuli ereptum feris: ipse semper præ-  
 stiti damnum, tu mihi semper imputasti: si quid  
 per furtum amissum est tam interdiu quam no-  
 ctu, meo periculo amissum est. Denique eā fuit  
 mea conditio, ut & de die conficerer æstu, & de  
 nocte gelu, & interea somnus abesset ab oculis  
 meis. Jam hic mihi vigesimus annus agitur, cum  
 sum domi tuæ. Servivi tibi quatuordecim annos  
 pro tuis duabus filiabus: Sex autem pro ovibus  
 & capris: cum tu interea mutavisti mihi merce-  
 dem c) decies. Quod nisi DEVS patrius, vide-  
 licet DEVS Abrahami, & terror Isaac, affuisset  
 mihi, tu quidem dimisisses me vacuum. Sed d)  
 respexit ille miseras & labores, quibus sum per-  
 functus: id quod heri satis ostendit. L. Meæ  
 sunt hæ filiæ, mei filii, meum pecus: denique  
 quicquid hic vides, meum est. Et nunc quo pa-  
 cto optime consulam meis his filiabus & filiis,  
 quos pepererunt: Opinor si ego & tu feriemus  
 fœdus, quod si testimonio utriusque nostrum,

7.

c) Hoc est, sæpe, posito numero certo pro incerto, synecdochice.

d) Deus respicit miseras suorum.

¶ Optime. Ego hic erigam cippum ex hoc faxo:  
 vos mei propinqui accumulate lapides. Capiamus  
 cibum super hoc tumulo. *L.* e) Hic hodie tu-  
 mulus erit medius testis inter me & te. ¶ Per-  
 placet. Atque ex hac re vocetur Galatas. *L.* Aut  
 etiam Maspha, ut significet, Deum aspecturum,  
 quid fiat a me & te, cum discefferimus alter ab  
 altero. Quod si tu eris durus meis filiabus, aut si  
 duces alias in matrimonium præter eas, tum hæc  
 pacta perinde sunt, atque si nulla facta sint.  
 Atque hujus quidem rei testis esto Deus utrique.  
 Vides hunc tumulum, vides & hunc cippum,  
 quem extruxi inter me & te? Hic tumulus, & hic  
 cippus, testes sunt, neque me adversum te, ne-  
 que te adversum me transiturum eos ad nocen-  
 dum. Deus Abrahami & Deus Nachoris, utrius-  
 que patrius, sunt nostri vindices. ¶ Ego con-  
 juro per terrorem mei patris Isaaci. Atque ut hæc  
 sint sanctissima, faciam hodie sacrificium in hoc  
 monte, ad cujus epulas vos omnes invito.  
*L.* Condicimus.

## SENTENTIA.

*Deus suos tuetur ab adversariis.*

JACOBVS REDVX. Genes. 33.

## ARGVMENTVM.

Jacobus ex Mesopotamia rediens, Esa-  
 vum fratrem donis placat.

B 5

*Esavus,*

e) Etiam res inanimatæ testes sunt, non illæ quidem  
 verbis, sed re.